

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nummotheca Principum Austriae

ex gazis Aulæ Caesareæ potissimum instructa, & aliunde aucta, quæ a prima ætate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicæ Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicæ Gentis Principes, Lineæ Hispano-Austriacæ, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

Herrgott, Marquart

Friburgi Brisgoviae, 1752

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241470](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241470)

Tab. XIX. NUMMI HISTORICI.

I.

† IOANA: ET: KARLOS: DEI GRACIA: REGINA ARRAGONIE & R. ex ARRAGONIE. Capita Regis & Reginae pectore tenus, obversis vultibus, & coronata, interposita littera c.

In averfa fere eadem perigrapha repetitur: † IOANA ET KAROLVS REX ARAGNV. Clypeus Arragonie coronatus, inter siglas c. & a. quæ forte nomen monetarii continent.

Nummum hunc aureum circa annum 1516. cufum fuisse existimo. Ista enim ætate die XXIII. Januarii, defuncto FERDINANDO Catholico, omnia eius regna CAROLUS ex testamento acquisivit. Erat quidem FERDINANDI animus primum a CAROLO alienus, iamque per priores tabulas eius fratrem FERDINANDUM heredem instituerat, verum cum HADRIANUS, CAROLI præceptor, in Hispaniam missus esset, eius opera res eo deducta est, ut consilium mutaretur.

Dubitabatur quoque an superstitite adhuc JOANNA eius matre, titulo Regis honorandus esset? sed vicit MAXIMILIANI avi sui, accedente etiam Cardinalis XIMENII suffragio, auctoritas, ut CAROLUS non modo in Belgio, sed etiam in Hispania Rex proclamaretur (a).

Scribit quidem Pontus HEUTERUS (b): *Principem nostrum mense Februario anno CIOIOXVIII.*

(a) Vid. STRUV. lib. cit. pag. 968.

(b) Rer. Belg. L. VIII. c. 1. apud eund. in notis pag. 969.

in Hispania Regem esse inauguratum, matre Joanna Regni gubernatione, ob cerebri læsionem, petentibus Proceribus, ea lege cedente, ut in omnibus edictis ac diplomatibus filii CAROLI nomen, matris semper postponeretur, neque alio, ea viva, titulo, quam PRINCIPIS HISPANIÆ, uteretur, CAROLO facile in ipso novi regni exordio hac in re Proceribus obsequente.

Sed falli virum doctum non solum ex diplomatibus, quæ apud Cl. VREDIUM (c) videri possunt, sed etiam ex nummis, anno 1520. percussis, planum fiet, CAROLUM æque ac JOANNAM Regum titulis fuisse usos; quin constat ex nummo in Castilia percusso, quem ex scriniis Grossorum (d) in supplementa nostra Tab. XLIX. num. 37. referimus, CAROLI Regis Hispaniarum, JOANNÆ matris suæ nomini antepositum fuisse, quemadmodum & in præsentis nummi protome CAROLI, quod mireris, principalem locum obtinet; cum nomen postpositum sit. Laudati nummi utraque facies hæc est: CAROLVS. ET. IOHANA. REGES. Scutum coronatum quadripartitum, Castiliæ & Legionis repetita insignia præbet, infra in angulo medio Granate tessera comparente. Adpositæ siglæ M. L. habentur pro litteris initialibus nominis monetarii. Sequitur perigraphes continuatio: † HISPANIARUM. ET. INDIARUM. Binæ Herculis columnæ coronatæ in mari consisten-

I 3

sten-

(c) Sigill. Comit Flandr.

(d) Locul. III. pag. 89. Tab. V. num.

CAROLUS V.
ROM.
IMP. ET
REX HISPANIE.

stentes, interiecto lemmate: PLVS VLTRA.

Huc quoque pertinet *Grosus*, quem in laudatis scriniis (a) inveni, cuius picturam Tab. XLIX. num. 35. supplementus. Ibi in umbone, iconum loco, comparent sigla: I. & K. sive litterae initiales nominum JOANNÆ & KAROLI, ambæ coronatæ. In altera parte aureum vellus ab ignitabulo, ex torque Ordinis eiusdem aurei velleris desumpto, pendet. Subsequitur perigraphæ: CAS. tilia LEG. ionis ARAG. omia ARCHID. uces AVSTRIA. Mone- tam hanc Antverpiæ cusam fuisse, recte admonet Cl. Editor; nam manus erectæ, in utraque nummi parte signatæ, id luculento comprobant.

Possent equidem huiusmodi nummi ad monetas, seu nummos communis usus, referri; sed quia nonnulla, quæ ad historiam faciunt, continent, iis lubens merito honoratiorem locum concedo, quod ipsum eadem ex causâ de nonnullis aliis CAROLI V. nummis usualibus observare constitui. Cæterum in hoc nummo singulare est, quod litteræ adversæ partis Gothicæ, quas vocant, averfæ Romanæ sint, cuius rei rationem reddere haud adeo proclive nobis est. *M. Imp. au. 2. ducat.*

II.

† IOANA: ET: KAROLVS: REGES ARAGONVM: TRIUMPHATORES ETZA id est: *et cætera.* Capita amborum, ut num. præcedenti, nisi quod hic JOANNA præcipuum locum occupet (si ta-

(a) Locul. II, p. 41, Tab. II, n. 11,

men is locus tum temporis a monetariis pro præcipuo habitus fuit; nam inferius quoque n. XLVII. nummum producemus, ubi CAROLUS Aug. sinistrum, & FERDINANDUS Rom. Rex dextrum locum occupat) ac insuper, ut viduam decet, velata sit: in medio areæ sigla s. c. visuntur, & inferius nota temporis: 1520.

In averfâ eadem fere perigraphæ legitur: IOANA. ET. KARLOS. EIVS. FILIVS. PRIMOGENITVS. DEL. GRACIA. ES. (ita, pro REGES). Scutum *Arragonia* coronatum inter siglas L. & S.

Hoc anno 1520. Cal. Decembris in Hispania haud procul Medina De campo rebelles prælio victi, & in ordinem redacti sunt (b).

De titulis, qui in ambitu leguntur, actum a nobis in notis ad nummum præcedentem, quem circa annum 1516. cusum fuisse diximus.

Verum hunc nummum Iudæi Pragensis foetum esse existimo; cum non solum litterarum figuræ huic ætati haud conveniant, nec in aliis CAROLI nummis, sive mnemonicis sive usualibus, observentur: sed & ipsa nummi fabrica & magnitudo cæteris eius nummis apprimè respondeant. Quare & præcedens, ob easdem litteras, mihi quidem valde suspectus est. Itaque ad certiora pedem moveamus. *M. Imp. ar. pond. dimid. unc. 3. drach. 3. M. Buol.*

III.

KAROLVS. V. ROM. *anorum* IMP. *erator* HYSpan. *iarum* REX. Protome CAROLI in toga, cum patagio pelliceo, & Ordinis aurei

(b) HARÆUS Annal. Brabant. pag. 547.

Tab. XIX. rei velleris insigni, capillis ad collum usque defluentibus, & pro more sæculi æqualiter accisis. Capite pileato & ad lævam converso.

Dux dextræ iunctæ & corona laurea circumdatæ. In area supra eas legitur: KONCORD. *ia* (littera k. pro c. barbata adhibita) infra nota temporis: MDXX.

Symbolum hoc ex nummis antiquorum petitum est, quod præsertim in nummis NERVÆ frequens occurrit, adiecta perigraphæ: CONCORDIA EXERCITUUM, & in nummis etiam VALERIANI SALONINI tres dextræ iunctæ, adiecto titulo: CONCORDIA AVGG. hic vero sine addito legitur: CONCORDIA. Quare *concordiam* non militarem, sed eam intelligi autumo, quæ inter Septemviros, cum de Summo Imperii Capite deligendo ageretur, post gravem disceptationem, ex partium studio, quo alii FRANCISCO I. Galliarum Regi, alii CAROLO favebant, consentientibus demum animis, CAROLUS concordie suffragio Imperator salutabatur. Is ergo conscensâ classè in Germaniam transmittens, anno 1520. in Belgium venit, ubi a Legatis Germaniarum summis honoribus maximisque omnium gratulationibus exceptus, & Aquisgranum deductus, ibidem coronatus est. Eadem occasione alium nummum cûsum fuisse affirmat Cl. KOEHLERUS (a) sub ipsâ coronatione in vulgus sparsum, cuius nullum exemplum nancisci potui. Illum lau-

datus auctor hunc in modum describit: In adversa parte sistitur protome CAROLI armati & coronati, cum perigraphæ: CAROLVS. D G ROM. IMP. SP. AVG. in averfa columnæ Herculis exhibentur, inter quas superius aquila Imperii biceps visitur, adiecto lemmate: PLUS ULTRA A. 1520. Symbolum istud a Cæsare tantopere frequentatum infra declarabimus. *M. Imp. a. cuf.*

CAROLVS V. ROM IMP. ET REX HISPANIÆ.

IV.

EFFIGIES. KAROLI. QVINTI M. D. X. XI. Protome Imperatoris togati cum patagio & Ordinis aurei velleris insigni, capite pileo inciso tecto, & dextrorsum converso.

Plures nummi iconici huius Imperatoris nobis ad manus sunt, quorum eçtypa post nummos historicos proferemus. Cum vero præfens aram Christi: 1521. præferat, is sibi hic locum exposcit.

Adiungimus porro alium, diversum quidem, sed huic haud multum absimilem, siquidem vultum Cæsaris in florida ætate expressum sistit. *M. Imp. a. fuf.*

V.

IMPERATOR CESAR CAROLVS AVGVSTVS HISPANIARVM VTRAQUE (sic) SICILIAE ET IERUSALEM REX ARCHIDVX AVSTRIAE ZC. id est: *et cætera.* Protome Cæsaris, fere ut num. præcedenti, patagium tamen pellitum est.

Num-

(a) M. B. L. P. VII. pag. 398.

CAROLUS V.
ROM.
IMP. ET
REX HISPANIE.

Nummus hic a Cæsaris effigie potius, quem nobis in viridi ac florida ætate sistit, quam ab epigraphe, quæ mendosa est, commendatur. *M. Imp. a.*

VI.

Protome Cæsaris togati & torque aurei velleris ornati, cum patagio pelliceo, exertis manibus, quibus vestem colligit, capite pileo inciso tecto, & dextrorsum verso.

Perigraphe subobscura est, & ex integro legi nequit, qui autem internosci possunt tituli, huius fere sunt commatis: CHAR... D G. CÆSARIS LEON. GRNADE. ARRAGON. NAVS BHE. CETRIS. qui forte hunc in modum interpretari poterunt: *CHAR. olus Dei G. ratia CÆSAR IS. panie LEGIONIS GRANADE. ARRAGONIE Rex NATUS AVS. trie HE. res COMES TIROLIS.* vel lege per me *CH. arolus*... NATVS HE. res COMES TIROLIS.

In parte averfa Fortuna velo instructa, cætera (ut pingi solet) nuda, cum longis capillis infra tergum defluentibus, conchæ supra mare insistit, comitantibus hinc atque illinc duobus geniis alatis, delphinis insidentibus; quo symbolo Fortunam Cæsari in mari propitiam designari arbitror, qua de re videbimus ad num. x. *M. Imp. a. fuf.*

VII.

Protome Imperatoris armata cum torque aurei velleris, capite corona clausa tecto, & ad

lævam verso. In ambitu interiori legitur perigraphe: CAROLVS: V RO: *manorum* IMPER: *a-* tor. In ambitu vero exteriori decem & quatuor scuta coronata collocantur; inter quæ in medio, supra Cæsaris caput comparet symbolum eius, binæ videlicet columnæ Herculeæ cum lemmate: *PLVS VLTRA.* Inter easdem columnas ignitulum coronatum, ex insigni aurei velleris desumptum.

Postica aquilam Imperii bicipitem, pansis alis, mediam inter notam chronologicam 1521. sistit, impressa pectori parmula, symbolis *Austriæ* & *Burgundiæ* distincta. In margine tredecim scuta coronata, una cum littera N coronæ inclusa repræsentantur.

Cl. LOCHNERUS (a) operosa exercitatione in notitiam tot coronatorum scutorum, quæ ad regna Hispaniarum spectant, inquirat; sed præter nota illa viris eruditis provinciarum symbola, hæret illi aqua, & in multis se operam perdidisse, ipse fatetur. Relinquamus itaque uberiolem illorum disquisitionem doctis Hispanis.

Ex figla N. laudatus Auctor asserit, numisma hoc Norimbergæ factum, & Cæsari oblatum fuisse in auro & argento. Unum porro, quod moneo, est: exemplum, quod manibus versamus, fufum, non cufum esse, nec solummodo quinque, sed uncias sex, dempta drachma una, appendere, ut pro more infra notabitur.

Cæte-

(a) Sammlung merckwürdiger Me-

dailen, Tom. VII, pag. 41.

tu inter
CARO
NPERA
exteriori
ta quo
que in
ut con
, hinc
deruere
VITRA
s ignis
k insipi
m.
peri bi
medun
logican
pectori
bria &
margi
nata,
nz in-
ppero
a tot
que
ctant,
ota illa
a sym-
& in
hille,
s ita-
uqui-
uctor
orim-
obli-
genta
oneo,
mani-
on cu-
quin-
tampa
e, ut